UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Septuagesimus septimus Psalmus ad Messiam jure refertur, ex doctrina Ebraeorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Visual Library

ejus, Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

I. SEPTUAGESIMUM ſeptimum Pſalmum ab antecedente haudquaquam disjungendum eſſe Judæi quidam tradiderunt. Atqui præcedens ille Pſalmus, juxta Midraſch Pſalmorum, querimonia eſt Iſraëliticæ gentis Sponſæ ad Deum Sponſum; quorum uterque in Cantico Canticorum exhibetur. Sponſum vero hunc, Meſſiam eſſe fatentur iidem Ebræi; proindeque conſequens eſt eam προσευχὴν, quam ex ſeptuageſimo ſeptimo Pſalmo hic affert Matthæus, totumque adeo Pſalmum, juxta Ebræorum doctrinam ad Meſſiam referri. *Septuageſimus ſeptimus Pſalmus ad Meſſiam jure refertur, ex doctrina Ebræorum.*

CAPUT XXXVIII.

Sermonum Jeſu vis & efficacia.

ISA. 11. 4. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

Iſa. 49. 2. *Poſuit os meum quaſi gladium acutum.*

APOC. 1. 16. *De ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat.* Et 2. 12, 16.

Apoc. 19. 15, 21. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes: & ipſe reget eas in virga ferrea ...... Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius.*

CAPUT XXXIX.

Jeſus miranda facinora edit, & omnis generis languores ſanat.

PSALM. 4. 4. *Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum.*

Pſalm. 102. 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

Iſa. 42. 6, 7. *Ego Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.*

Iſa. 53. 4. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.*

Iſa. 61. 1, & ſeq. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem; ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro: ut conſolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.*

Ezech. 14. 15, 16. *Ego paſcam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, conſolidabo; & quod pingue & forte, cuſtodiam.*

MATTH. 4. 23, 24. *Et circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Et Matth. 9. 20, & ſeq. & 9. 35. & 11. 20. & 15. 22, & ſeq. & 21. 15. Marc. 1. 32, & ſeq. & 5. 2, & ſeq. & 6. 5. & 7. 25, & ſeq. & 7. 32, & ſeq. Luc. 4. 33, & ſeq. & 4. 40, 41. & 5. 18, & ſeq. & 8. 2, 27, & ſeq. & 9. 38, & ſeq. & 11. 14, & ſeq. & 13. 11, & ſeq. & 14. 2, & ſeq. Joh. 2. 1, & ſeq. & 4. 46, & ſeq. & 5. 5, & ſeq. & 6. 2. & ſæpiſſime in Evangeliis.

Matth. 8. 16, 17. *Veſpere autem facto obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & ejiciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem, Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit.*

Luc. 4. 17, & ſeq. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ. Et ubi revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat, Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem re-*